

contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, et crebro repetentis quasi pueri, an puellae, nescio: Tolle, lege; tolle, lege. Statimque mutato vultu, intentissime cogitare coepi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi, cantitare tale aliquid, nec occurrebat omnino audivisse me uspiciam. Repressoque impetu lachrymarum, surrexi nihil aliud interpretans divinitus mihi juberi, nisi ut aperirem codicem, et legerem, quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis: et veni, sequere me, et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alypius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei. Non in comensationibus, et ebrietatisbus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et aemulatione, sed induit Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiae, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebrae diffugerunt. Tum interjecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indicavi Alypio. At ille, quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit. Petit videre quid legissem. Ostendi, et attendit etiam ultra quam ego legeram, et ignorabam quid sequeretur. Sequebatur vero: infirmum autem in fide assumite. Quod ille ad se retulit, mihiique aperuit. Et tali admonitione firmatus est, placitoque, ac proposito bono, et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius olim valde longe distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet: nar-